



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi  
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ  
Theologiæ summa continetur**

**Petrus <Lombardus>**

**Mogvntiæ, 1632**

Quomodo gratia meretur augeri. De tribus generibus bonorum. K

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38829**



per liberum arbitrium, vt tradit Augustinus in re-  
sponſionibus contra Pelagianos: vbi dicit homi-  
nes per liberum arbitrium agros colere, domos e-  
dificare, & alia plura bona facere ſine gratia coo-  
perante.

*Vtrum vna eademque ſit gratia que dicitur operans,  
& cooperans.*

Hic conſiderandum eſt, cum prædictum ſit per  
gratiam operantē & præuenientem, voluntatem  
hominis liberari ac præparari vt bonum velit: &  
per gratiam cooperantē & ſubſequētem adiuua-  
ri, ne fruſtrā velit: vtrum vna & eadem ſit gratia,  
id eſt, vnum minus gratis datum, quod operetur  
& cooperetur: an diuerſa, alterum operans, & al-  
terum cooperans? Quibuſdam non irrationabi-  
liter videtur, quod vna & eadem ſit gratia, idem  
donum, eadem virtus, quæ operatur & coopera-  
tur: ſed propter diuerſos eius effectus, & dicitur o-  
perās & cooperans. Operās enim dicitur, in quan-  
tum liberat & præparat voluntatem hominis vt  
bonum velit: Cooperans, in quantum eandē ad-  
iuuat ne fruſtrā velit, ſcilicet, vt opus faciat bo-  
num. Ipa enim gratia non eſt oſioſa, ſed meretur  
augeri, vt aucta mereatur perfici.

*Quid ſit ipſa gratia, & Quomodo meretur augeri,  
queritur.*

Si vero quæritur, quomodo ipſa gratia præue-  
niens mereatur augeri & perfici, cum nullum me-  
ritū ſit abſque libero arbitrio: & quid ſit ipſa gra-  
tia, an virtus, an non: & ſi virtus, an actus vel non:  
Vt hoc aperte inſinuari valeat, præmittendū eſt  
tria eſſe genera bonorum. Alia nanq; ſunt magna,  
alia minima, alia media: vt Auguſt. ait in primo  
lib. retract. Virtutes, inquit, quib. recte viuitur,  
magna bona ſūt. Species autē quorūlibet corpo-  
rū, ſine quib. recte viui pōt, minima bona ſunt. Po-  
tētię vero animi, ſine quib. recte vi nō pōt, media

Dd 3

bona

*Aug. de ſpi-  
ritu & l. te-  
ra. ad finem  
c. 9. & Aug.  
ad princip.  
c. 10. 10. 3. Si  
xtū presby-  
terū epiſt.*

*105. ante  
mediū 10. 2.*

*Li 3. ca. 9. in  
medio capi-  
tis.*

*Et l. 2. de li-  
bero arbit.  
c. 19. in 10. 1.*



*In princip.  
Ibi dem con-  
tinuo.*

bona sunt. Itē virtutibus nemo male vtitur. Ca-  
teris autem bonis, id est, mediis & minimis, non  
solum bene, sed etiam male quisque vti potest: &  
ideo virtute nemo male vtitur, quia opus virtu-  
tis, est bonus vsus istorum quibus etiam non be-  
ne vti possimus. Nemo autem bene vtendo, male  
vtitur. nō solum autem magna, sed etiam media,  
& minima bona esse premitur bonitas Dei. Ecce ha-  
be tria genera bonorum distincta.

*In quibus bonis sit liberum arbitrium.*

*Cap. 2. in fi.*

Quæritur autem in quibus bonis cōtineatur li-  
berum arbitrium. De hoc Aug. in primo li. retract.  
ita ait, in mediis quidem bonis inuenitur libe-  
rum voluntatis arbitrium, quia & malè illo vti  
possumus: sed tamen tale est, vt sine illo rectè vi-  
uere nequeamus. Bonus autem vsus eius, iam vir-  
tus est: quæ in magnis reperitur bonis, quibus ma-  
le vti nullus potest. Et quia bona, & magna, & me-  
dia, & minima ex Deo sunt: sequitur vt ex Deo sit  
etiam bonus vsus liberæ voluntatis, qui virtus est,  
& in magnis numeratur bonis. Attende diligen-  
ter quæ dicta sunt, & confer in vnum. sic enim a-  
perietur quod supra quærebatur. Dixit equidem  
opus virtutis esse bonum vsus illorum bono-  
rum, quibus etiam non bene vti possumus, id est,  
mediorum: in quibus posuit liberum arbitrium,  
cuius quoque bonum vsus dixit esse virtutem.  
Quæ si est, non est ergo opus virtutis, quod supra  
dicit: quia aliud est virtus, aliud opus eius.

DE VIRTUTE QUID SIT, ET QUID  
*fit actus eius.*

DISTINCT. XXVII.

*De compa-  
ratione gra-  
tia ad vir-  
tutem.*

**H**ic videndum est quid sit virtus, & quid sit a-  
ctus vel opus eius: Virtus est (vt ait August.)  
bona qualitas mentis, qua recte viuatur, & qua  
nullus male vtitur: quam Deus solus in homine  
ope-